A 6656
W4
Copy 1

QVAESTIONES SALLVSTIANAE

MAXIME AD LIBRVM VATICANVM 3864 SPECTANTES

PA 6656
.W4
Copy 1

QVAS

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

VNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE OBTINENDORVM CAVSSA

SCRIPSIT

ALFREDVS WEINHOLD

DRESDENSIS

12454

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEVBNERI

MDCCCLXXI

PA6656
.W4

Sallusti editionem perfecto absolutoque apparatu critico instructam, qualis ab omnibus quorum in hac re iudicium est requiritur, etiamnunc desiderari inter viros doctos constat[1]). Ex qua inopia etiam hoc sequitur, ut, quae ratio inter singulos libros manu scriptos intercedat, plane diiudicari nondum possit. Quamquam minime abnuerim omnes, qui in libris Sallustianis legendis explicandis emendandis versantur, summam gratiam debere Henrico Iordano, qui Sallusti Catilinae, Iugurthae, orationum et epistularum ex historiis excerptarum nitidissimum exemplar anno h. s. sexagesimo sexto prodire iussit. Nec mehercule reticere nunc possum, sperare me fore ut, quam primum fieri possit, hic vir doctus maiorem editionem ea qua insignis est accuratione diligentiaque paratam in publicum emittat. Quod dum spero, non abs re fore putavi de nonnullis rebus, in quibus ab Iordano aliisque viris doctis dissentirem, sive de librorum scripturis vere aestimandis aliam sententiam ferendam esse censerem sive putarem locis quibusdam coniectura subveniendum esse, accuratius disputare. Cum autem multa in hac artis criticae Sallustianae parte sint, de quibus disserere operae pretium sit, tum satis ampla dignaque illa mihi quaestio videtur, quae quantaque auctoritas libro Vaticano 3864 (= *V*) tribuenda sit, de cuius fide novissimis temporibus longe aliter atque antea iudicari coeptum est; post quam disputationem nonnulla proferam, quae cum omnino in libris manu scriptis non recte prodantur, a viris doctis vel prorsus intacta relicta vel non satis evidenter emendata sunt.

Iam autem primum et pium et utile videtur eos viros doctos commemorare, qui de codice *V* sententias protulerunt. Quo-

1) cf. Dietschium ed. a. 1859 praefat. p. VIII magna profecto cum modestia haec scribentem: 'incohata potius quam perfecta me proferre sentio'; item in Commentat. cap I p. 12: 'disputatio (de librorum mscr. origine) ad certum finem iam adduci non potest, quoniam nondum omnes codices diligenter explorati sunt'. Adde Iordanum Herm. vol. I p. 229: 'von einer abschliessenden Bearbeitung sind wir weit entfernt'.

rum in numero primus est C. L. Rothius. Is enim Museo Rhenano[2]) disputationem inseruit, qua et ad libros Sallusti manu scriptos examinandos atque in quasdam classes distribuendos primus impulit et ipse lineamenta quaedam huius divisionis designavit: quae distinguendi ratio, quamvis eam mox ipse non esse veram intellexerit[3]), initii tamen et rationis ac iudicii laude etiamnunc digna est. Hac autem in dissertatione ille primus statuit in scriptis Sallustianis edendis praecipuam libri Vaticani rationem habendam esse[4]). Neque aliter iudicavit Linkerus, qui Vaticanum in orationibus et epistulis recensendis constanter secutus est, quamvis ipse in praefatione p. VI extr. fateatur: 'et fortasse magis etiam sequi debebam'. Quocum consentit Dietschius, qui etiam accuratius de libro *V* disputavit[5]): is vero illius scripturas saepissime in verborum ordinem recepit omninoque hanc artis criticae legem sibi scripsit ut, ubi neque sensus neque sermonis recti et integri leges obstarent, Vaticanum ducem atque auctorem sequeretur. Neque vero hoc solum Dietschius l. s. s. proposuit, sed etiam, quae ratio inter librum *V* et codices primae familiae intercederet, his verbis significavit: 'Vaticanum ante omnia ad examinandam reliquorum librorum fidem adhibendum esse nemo infitiabitur'. Quae disputatio ex parte laudem Woelfflini tulit[6]): cui tamen id esse vituperandum visum est, quod Dietschius non tanta quanta opus esset consilii constantia libri *V* scripturas recepisset eundemque quod ad examinandam reliquorum librorum fidem adhibendum esse dixisset. Woelfflinum autem secutus est Iordanus, qui luculentissime docuit[7]) orationum et epistularum, quae ex historiarum libris manserunt, nullum fontem exstare praeter *V*, ex quo libri *B* i. e. Urbinas 411 (Vat. 2) et *C* i. e. Vat. 3415 descripti essent. Qui post hos de Sallusti libris manu scriptis disputavit Brentano[8]), de ipso Vaticano nihil novi protulit, ita ut continuo iterum nobis Iordanus appellandus sit. Atque hic quidem docere studuit[9]) codicem Vaticanum originem quidem duxisse e libro manu scripto satis bono ac vetusto, qui multis in rebus cum eo, ex quo Parisinus Sorbonicus n. 500 (*P*)

2) Mus. Rhen. vol. IX p. 129—135. 3) ibid. p. 630. 4) ibid. p. 129 annotat. 1. 5) in ed. mai. a. 1859. Commentat. cap. I p. 11 sq.
6) Philol. vol. XVII p. 519—548, ubi v. potissimum p. 526.
7) Mus. Rhen. vol. XVIII p. 584—590.
8) 'De C. Sallusti Crispi codicibus recensendis. Diss. inaug. scr. Aemilius Brentano', ed. Francofurti a. 1864. 9) Herm. vol. I p. 231—240.

aliique derivati essent, consentiret, eundem autem codicem iam antiquissimis temporibus a grammatico aliquo suopte arbitrio mutatum esse atque interpolatum. Vnde alterum quoque hoc consequi dicit, ut in arte critica factitanda eis locis, ubi Vaticanus et libri primae classis, cuius longe optimum exemplum *P* sit[10]), discrepent, Vaticani auctoritate posthabita liber *P* sit sequendus, dum modo salva sit sententia scripturaque a sermone latino non aliena. Quod iudicium valde placuit Eussnero[11]), qui illud ut solum verum praedicavit: ac Dietschius quoque, qui olim prorsus aliter de *V* senserat, meliora hac disputatione edoctum facere se non potuisse fatetur[12]), quin in locis omnibus, de quibus iudicium e fide librorum penderet, Iordani exemplum sequeretur. Novissime denique Gerlachius paucis et cautius Iordano assensus est, ut qui in iudicio, quod de Iordani et Dietschii novissima editione fecit[13]), dictu difficile esse profiteatur, quae ratio inter libros ceteros et Vaticanum intercedat, quem librum Iordanus arbitrio grammatici mutatum et corruptum esse *fortasse non sine causa* contenderit: quamquam hanc quaestionem in eis, quae postea disputavit, non est longius persecutus. Atque ego quoque, cum primum ad Sallusti libros accuratius pertractandos accessissem, hanc Iordani sententiam amplexus sum; sed iterum iterumque disputatione illa examinata et librorum scripturis in universum aestimatis vix illi assentiendum esse mihi visus sum intellegere. Ad quod iudicium quibus rationibus atque argumentis adductus sim, nunc quam paucissimis exponam.

Itaque primum de Iordani argumentis exemplisque disputan-

---

10) Aliam sententiam proposuit Io. Caspar Wirz in commentatione 'de fide atque auctoritate codicis Sallustiani qui Parisiis in bibliotheca imperiali n. 1576 asservatur', Aroviae edita a. 1867, libro Parisino 1576 maiorem auctoritatem tribuens: cuius sententiam Eussnerus non plane refutasse mihi videtur. Quamquam hanc laudabilem operam et egregium Wirzii studium iniuria despexit Gerlachius, qui rursus alium codicem optimum esse putat, Basiliensem I: ita ut, quem quisque accuratius librum inspexerit, optimum habere videatur.

11) 'Exercitationes Sallustianae scr. Adam Eussner' p. 5. Quae disputatio bis in publicum prodita est: prius in libello quo societas philologica Wirceburgensis philologos a. 1868 eo convenientes salutavit p. 158—194: iterum quattuor paginis aucta ad veniam legendi impetrandam Wirceburgi a. 1868.

12) init. praefat. edit. IV, quae Lipsiae a. 1868 prodiit.

13) Annal. Heidelb. a. 1868 p. 881—907 et a. 1869 mens. April.

dum esse videtur; tum de eis locis dicendum erit, quibus liber *V* veram scripturam servarit; tertia autem disputationis parte ei loci afferendi erunt, quibus *V* non meliorem, postremo quibus etiam deteriorem ceteris scripturam exhibeat, inquirendum autem erit, utrum hae scripturae certo grammatici consilio an errori librariorum ac stultitiae tribuendae sint. Qua quidem dispositione fieri non potest quin prima pars in refutandis et reiciendis virorum doctorum sententiis constet: qua tamen in re ne quid vitio vel superbiae a quoquam mihi vertatur precor, cum quidquid dixi veritatis studio ac litterarum amore me dixisse asseverare possim.

Ac praeter cetera illud Iordanus cum Orellio[14]) vere statuisse videtur, librum *V* ex dilectu quodam orationum et epistularum e Sallusti libris descriptarum originem ducere, cuius dilectus auctor fortasse ipse epistulas sermone Sallustiano compositas scripserit. Sed ea, quae ex harum condicione scripturaeque genere Iordanus efficere studuit, concedere non possum. Consequi enim inde ille alterum hoc putat, editori huius dilectus libros manu scriptos non mediocriter corruptos in manibus fuisse, quos ut scholarum usui apti essent emendavisset, ea quae insolita et singularia essent cum consuetis cotidianisque mutans: quod autem ad recte scribendi rationem attinet, rhetorem illum aut verba iam emendata repperisse aut ipsum restituisse. Ex quibus duo tantum nunc teneamus: unum hoc, quod Iordanus dicit elegantioris sermonis studio hunc grammaticum, quidquid mutaverit, mutavisse. Quid igitur, si saepius reperimus in Vaticano vetustiorem neque tam elegantem quam in ceteris scripturam servatam, putandumne est his locis correctorem elegantiorem dicendi rationem alio rursus consilio cum obsoletiore vel duriore mutavisse? Quid enim verbi causa de Iug. 14, 11, ubi liber *V* solus recte *non quit*, reliqui omnes *nequit*, de Iug. 31, 25, quo loco *V amittatis*, ceteri vel *omittatis* vel *obmittatis*, de Iug. 85, 23, ubi *V neque mala neque bona*, ceteri *neque bona neque mala* praebent, statuendum est? Hoc enim in genere si rationis iudiciique constantia uti voluerimus, omnino tam late patere campum illarum mutationum nobis dicendum sit, ut hanc universam de gram-

14) in Ialnii nov. annal. philol. et paedagog. vol. III (a. 1831) p. 40 sqq. et in 'Historia critica eclogarum ex Sallusti hist. libris' Turici a. 1833 edita.

matico aliquo sententiam Eussneri exemplo verbisque sic comprehendere possimus: ab ipso illo rhetore in colligendis Sallusti orationibus sermonem usui scholastico ita accommodatum esse, ut verba cum subinde eicerentur vel immutarentur, tum haud raro, quo elegantius existeret dicendi genus, transponerentur: hoc est, ut paucis complectar, nullum mutandi studium etiam alienissimo consilio susceptum ab illo homine alienum fuisse. Quod quam rationi non sit consentaneum, facile apparet. Alterum autem, quod animadvertendum esse putamus, hoc est, quod Iordanus ex epistularum illarum compositione consequi dicit, ut liber, ex quo Vaticani fons descriptus sit, iam fuerit ita correctus. Aut enim nihil in hac causa video aut Iordanus errat; nam si rhetor ille ipse in epistulis scribendis Sallustium imitabatur, certe nullo modo in eis orationibus et epistulis, quas a Sallustio ipso traditas habebat, formas Sallustianas deleturus fuerat. Multo autem magis alterum veri esse simile mihi videtur, quod saepissime factum nemo ignorat, ut imitator etiam studiosius quam scriptor ipse rariora et singularia adamavisse atque adscivisse credatur, nullo autem modo ille ipse rhetor Sallustianas formas delevisse, sed si quae in dilectu deletae erant, eas haud dubie iam ante hunc rhetorem ibi non inventas esse. Sed hanc rem, cum per se tam lubrica sit neque pro ipso fundamento esse debeat, quo innisi de librorum auctoritate iudicemus, nunc relinquamus: sufficit enim significasse certis de causis ab Iordano nos dissentire atque meliorem et simpliciorem rationem invenisse nobis videri, qua hanc rerum ad recte scribendi rationem pertinentium discrepantiam explicaremus. Omnino autem quid ab hac parte praesidii codicibus paretur, non apparet, neque id Iordanus apertis verbis demonstravit: summum enim momentum in ipsis verbis positum esse quivis videt; itaque exempla, quibus Vaticanum corruptum esse doceri Iordanus putat, accurate diligenterque examinanda sunt.

Iam primum igitur, quomodo ex Cat. 20, 7, de quo loco infra pluribus dicemus, appareat Vaticani correctorem veram scripturam turbavisse, prorsus me fugit. Nullum enim profecto argumentum hoc est: in *V boni atque strenui, nobiles et ignobiles* legi, primae autem classis libros optimos praebere *strenui boni nobiles atque ignobiles,* id quod ne Iordanus quidem ut verum agnoscit. Sin vero *strenui*, quae Iordani opinio est, e glossemate sit, difficile iudicatu est utrum rectius post *boni* vocem an ante eam id glossema in verborum ordinem irrepserit: in hac autem, quam

Iordanus rectissime detexit, verborum confusione si *et* et *atque* particulae inter se permutatae sunt, nemo interpolationis exemplum deprehendere sibi videbitur: nam quam frequenter illud factum sit dici vix potest, ut Iug. 14, 11 quo loco *V scelere et audacia* praebet, ceteri *atque* particulam exhibent, in eodem capite § 15 e contrario in Vaticano *maerore atque luctu* legitur, reliqui vero libri *et* tradunt: quibus in locis utra vera sit scriptura, ne ex usu quidem Sallustiano cognosci potest. Sic etiam Cat. 51, 5 pro *infida et advorsa*, vera quae in *V* aliisque est scriptura, liber *P* cum aliis *infida atque advorsa* praebent; Cat. 52, 33 in *P* et nonnullis aliis *dis aut hominibus,* in Vaticano et reliquis recte *dis atque hominibus* scriptum est. Hoc igitur Iordano concedimus, librorum scripturam Cat. 20, 7 non leviter esse perturbatam; alterum autem negamus, posse ex his quidquam de librorum auctoritate concludi. Si enim duae codicum familiae vitiis affectae sunt, non alteri idem laudi, alteri vitio vertere licet, id quod paullum abest quin Iordanus fecerit.

De altero exemplo Cat. 52, 1 dicere nunc supersedeo, cum infra argumentis satis idoneis me demonstraturum sperem, solum ibi librum *V* veram scripturam servasse.

Nec vero magis Iug. 31, 28 in *V* verborum quae sunt *beneficii memorem esse quam maleficii* hunc ordinem libidini tribuendum esse concesseris veramque ceterorum librorum scripturam habueris *beneficii quam maleficii memorem esse*, si quidem Iordani exemplis comparaveris haec: Cat. 23, 2 *huic homini non minor vanitas inerat quam audacia*; Cat. 47, 1 *Volturcius . . . docet . . . se . . nihil amplius scire quam legatos*; Iug. 19, 2 *silere melius puto quam parum dicere.* Accedit autem etiam alterum argumentum, minime id quidem spernendum. Multo enim gravius sententiaeque aptius totius orationis momentum est Vaticani verborum ordine recepto: non enim in vocibus *immemorem esse* quidquam inest quod a Memmio gravius efferatur, sed in eo, quod beneficii memoria et maleficii inter se opponuntur. Hoc autem eo pluris aestimandum esse apparet, quod Sallustius cum in toto sermone tum in orationibus componendis summus est verborum artifex, qui inprimis in vocibus collocandis eximia utatur diligentia et consilio; neque satis illud Granii Liciniani respici potest, Sallustium non ut historicum, sed ut oratorem legendum.

Sed haec tria exempla non magni momenti esse Iordanus

ipse concessit[15]), concedetque opinor, disputationi nostrae pro argumentis adhiberi illa omnino non debuisse: multum autem quarto Cat. 52, 35 tribuit, quo loco *V* solus *intra moenia atque in sinu sunt hostes* praebet, in reliquis omnibus *in sinu urbis sunt hostes* legitur. Qua in Iordani disputatione hoc magnopere laudandum est, quod et Linkeri[16]) coniecturam, quamvis sagacem et profecto speciosam, et Hertzii[17]) sententiam reiecit; ab eis autem quae ipse protulit prorsus dissentio. Ac primum quidem, ut concedamus Sallustium *in sinu urbis* scripsisse, mirum esse mihi videtur, si quis in omissa *urbis* voce vestigium consilii libros Sallustianos ad arbitrium restituendi et corrigendi deprehendi putaverit: nam hoc profecto nullo tempore illorum grammaticorum fuit, quid fortasse omitti potuerit quaerere et delere; neque omnino credo vel ipsum illum grammaticum, cuius propemodum effigiem Iordanus nobis ante oculos posuit, si *in sinu urbis* proditum legisset, emendandi studio *urbis* vocem deleturum fuisse: sin quis *urbis* vocabulum necessarium putaverit, non ei erit ad tam artificiosam explicationem confugiendum, sed sine ulla ut opinor offensione simplicissime dicendum errore librarii et neglegentia hanc vocem in *V* intercidisse. Neque tamen sic ego statuerim: nam eis potius assentior qui *urbis* vocem prorsus supervacaneam et explicandi studio adscriptam putant. Quorum causam tam bene defendit Dietschius[18]), ut et inutile et immodestum sit hanc quaestionem retractare, quae aptius explicari vix poterit. Sunt autem *moenia* nihil aliud nisi *urbs*, quem usum exemplis confirmem vix necesse est. Pauca tantum adscripsi: Verg. Aen. II, 252 *fusi per moenia Teucri conticuere*; Aen. VI, 549 *moenia lata videt triplici circumdata muro*; Vitruv. VIII, 4 *Zama*

15) Itaque cum Iordanus p. 235 hoc fassus esset, nollem eum p. 236 sic perrexisse: 'cum iam compluribus locis Vaticanum condemnaverimus, etiam hoc loco (Cat. 52, 35) veram scripturam non habet': haec enim, ut dicam quod sentio, petitio quae dicitur principii esse mihi videtur eaque nata ex praeiudicata de inferiore libri *V* pretio opinione.

16) Emendationum Sallustianarum ex actis acad. Vindobon. a. 1855 seorsum editarum p. 18—20: '*Catilina cum exercitu in faucibus Etruriae agit, alii intra moenia atque in senatu sunt hostes*'. (In Herm. vol. I p. 236 mero errore, ut ex Iordani ipsius disputatione apparet, typis expressum est Linkerum scripsisse '*C. cum exercitu in faucibus Etruriae urget*'.)

17) Philol. vol. XII p. 378: '*Catilina cum exercitu faucibus urget, alii in sinu sunt hostes*'.

18) Commentat. cap. IV p. 69 sq. ed. a. 1859.

est civitas Afrorum, cuius moenia rex Iuba triplici muro saepsit; Flor. I, 4 *hic moenia muro amplexus est*. Itaque quicumque haec legerit *intra moenia atque in sinu*, statim *urbis* notionem, quae quidem *moenia* voce iam satis significata est, menti informabit: quod cur fieri non possit, aegre intellegas. Quod igitur Iordanus libro *V* vitio vertit, in laude potius ponendum esse puto, existimoque hoc quoque exemplo doceri posse Vaticanum solum veram scripturam servasse, reliquos omnes vili interpretis additamento corruptos esse. Unum autem hac oblata occasione statim adiciam, cui alius locus vix aptior erit. Valde enim miror, quod Dietschius Iordani de *V* iudicium amplexus, tamen hoc loco, cui Iordanus tantum quantum nulli fere alii tribuit, sententiam quam olim defendit etiamnunc veram esse iure putat, ut qui in novissima Sallusti editione haec scribat: '*urbis* etiamnum glossema iudico'. Vnde, quam paullum hic quoque vir doctus reapse sibi constiterit, manifestum est. Sed quamvis haec ita sint, tamen ut eam quam defensurus sum de *V* sententiam veram esse probem, haud mediocriter ipsa Dietschii in constituendis verbis ratione adiuvor. Is enim, quem Sallusti loquendi consuetudinis peritissimum sanissimique iudicii virum esse nemo aequus infitiabitur, sedecim locis Vaticani scripturam recipiendam esse vidit, quibus Iordanus librum *P* secutus est, atque sex locis huius libri scripturam optimam vel ipse Sallustio digniorem esse dicit, quamvis Iordani de *V* sententiam amplexus Parisini scripturam in ordinem verborum receperit: propter quod obsequium eum sane vituperandum esse puto, ut Cat. 58, 12 ubi haec scripsit: '*adgrediamini* c. J. Quamquam imperativus gravior et Catilinae ingenio aptior videtur'; et Iug. 31, 25 '*omittatis* c. J.] *amittatis* quod nescio annon proprium fuerit Sallusti'.

Unum ex omnibus quae Iordanus attulit exemplis aliquid valere concedo, quamvis non id sit, ex quo sequatur librum *V* consilio mutatum esse, sed hoc potius, eum ut vel optimum quemque codicem librariorum vitiis non plane vacare. Itaque non tantum huic loco quantum Iordanus tribuerim. Res autem haec est. Iug. 85, 16 in omnibus praeter Vaticanum libris haec leguntur: *ac si iam ex patribus Albini aut Bestiae quaeri posset mene an illos ex se gigni maluerint, quid responsuros creditis, nisi sese liberos quam optumos voluisse*, liber *V* autem *matre, possit, maluisse* praebet. Qua in scripturae discrepantia iure, ut mihi quidem videtur, Dietschius etiam in novissima editione *possit*

retinuit, a qua forma salva dicendi ratione vix recedi posse videtur; tum autem *maluisse,* quod sententia omnino carere ipse Iordanus profitetur, nullo certe modo rhetoris consilio tribui potest, quem haud indoctum verborum iudicem nec sermonis latini imperitum ipse Iordanus finxit, sed merus librarii error credendus est, sive oculi ad *maluerint* quod paullo antea legitur aberrarunt, sive librarius illius vocabuli recordatione etiam hoc loco *maluisse* pinxit. Restat igitur solum illud *matre,* quod utrum alicui corrigendi libidini tribuere malis an calami errore in Sallusti verba irrepsisse putes, haud multum interest; verum etiam hoc loco ut errorem, non consilium vitii causam esse credam eo adducor, quod in *V* singularis numerus, in ceteris autem pluralis est: nam si quis corrigendi studio traditam scripturam mutare voluisset, vix puto eum etiam pro plurali numero singularem, qui omni sententia caret, substituturum fuisse.

De Iug. 102, 6, quem locum Iordanus accuratius tractavit, disputare abs re esse puto, cum ex eo in nullam partem quidquam decerni posse prorsus mihi cum illo conveniat. Post hunc autem locum quattuor scripturae discrepantias nobis proposuit, quas per se quidem non magni momenti esse dicit, sed inter se comparatas suspitionem mutationis consilio atque arbitrio susceptae vel sic confirmare arbitratur. Quorum e numero exemplorum tertium statim excipiendum est, cum severa, nisi egregie fallor, et iusta artis criticae ratione usi ad aliud certe iudicium perveniamus. Legimus enim in omnibus fere libris ms. Iug. 24, 3: *ferro an fame acrius urgear incertus sum*; in *V* vero (et p^5, cuius omnino ratio non habenda est) *incertum est* scriptum exstat, id quod Dietschius olim recte tutatus est[19]), quem nunc ab hac sententia discessisse magnopere doleo. Iure enim olim contenderat *incertum esse* eum dici qui consilii inops sit, ut Iug. 14, 23. 67, 1. 74, 1. 101, 2: id quod ab hoc loco prorsus alienum esse; alterum autem quod adiecerat argumentum minime verum est: multo gravius Adherbalem dicere ‘neminem discernere posse ferro an fame acrius urgeatur’, quam ‘se non posse hoc discernere’. Maxime autem illud respiciendum esse videtur, Sallustium tam sibi constare solere, ut vix invenias eum quinto quopiam loco aliam notionem voci vel loquendi formulae alicui tribuentem, quam qua quattuor ceteris locis usus esset.

19) Commentat. cap. V p. 118 ed. a. 1859.

Nam haec, ut iam significavi, ratio haud dubie verior videbitur, ut verba ad scriptoris consuetudinem restituamus, quam ut, si quattuor locis aliquis usus confirmetur, quinto autem scriptura fluctuet, hoc loco aliam legem scriptorem secutum esse statuamus. Quodsi Iordanus ex Cic. ep. ad Att. I, 9, 1 *cum incertus essem ubi esses* auctoritatem sententiae suae accedere existimat, non plus hoc valere unum quemque mihi concessurum puto, quam cum Sallustium Iug. 49, 5 similiter *dubius* voce usum esse dicit.

Neque magis Iordano assentiri possum de Iug. 14, 12, quo loco *V multum laboris*, ceteri *multum laborem* praebent, quod facillime ex *multum laboris* oriri postea demonstrabo. Eadem autem ratio est Cat. 28, 2, ubi Wirzius[20]) recte *quantum periculi* ad P_1 et P_2 fidem edendum esse docuit — atque profecto multo id est elegantius —, quamquam Iordanus hoc quoque loco *quantum periculum* ex *P* recepit; neque enim arbitror eum etiam P_1 et P_2 libros viri cuiuspiam non indocti opera hic inquinatos vel potius correctos credere. Errorem autem librariorum ut subesse statuam, causam idoneam vel explicationem haud incommodam me habere existimo. Numquam enim invenias hunc librariorum errorem vel, si Iordani sententiam amplectare, hanc dicendi rationem in substantivis femininis usu venire, sed tantum in vocabulis masculini et neutri generis, quippe quibus usurpatis *quantum, multum* etc. utrumque, vel substantivum vel adiectivum, esse posset; librarii autem *quantum* et similia adiectiva esse rati *periculum* eodem casu per inscitiam adiecerunt atque ita verba scriptoris corruperunt. Ad quod vitiorum genus etiam libri *P* ceterorumque scriptura Iug. 85, 31 pertinet, quem locum Iordanus alterum eorum esse dicit, quibus *V* solus veram scripturam servaverit. Legimus enim in *V* (et g^2 nullius auctoritatis libro atque in margine codicis *P*) *parvi id facio*, quod Nonii testimonio confirmatur; reliqui omnes *parum id facio* exhibent, ita ut hoc loco *parum* ex *parvi* propter *id* pronomen quod sequitur ortum esse manifestum sit. Sic etiam Iug. 14, 9 *V id potissumum* pro *is potissumum* praebet, *id* autem propter *potissumum* quod sequitur irrepsisse nemo non videt.

In duobus aliis quae Iordanus attulit exemplis non tanta mihi cum illo intercedit iudicii discrepantia: videntur enim hi loci Iug. 24, 9 et 24, 1 ad eius libri fidem edendi esse, quem

20) de fide atque auctoritate cod. Sall. Paris. n. 1576 p. 6.

quisque altero praestantiorem crediderit. Nam nihil certe interest, utrum Iug. 24, 9 *scribo* quod *PC*[21]) et Servius Cassellanus scriptum exhibent, an *scripsi* quod in *V* legitur verum esse arbitremur. Neque utrum facilius aut errore aut consilio (quale tamen consilium mirum videatur) ex altero oriri potuerit, intellegitur. Nec magis Iug. 24, 1 causam invenias, cur aut librorum *PC* scriptura *non mea culpa saepe ad vos oratum mitto* melior sit quam libri *V* memoria *non mea culpa saepe vos oratum mitto* — utrumque enim rectissime dicitur —, aut rhetor quispiam consilio *ad* praepositionem delevisse videatur: nam nullum profecto argumentum hoc futurum sit, videri eum in praepositione offendisse.

Iam de ultimo exemplo dicendum est: affert enim Iordanus Iug. 85, 29, quo doceat semper se, ubi scripturae librorum *P* et *V* discrepantes pari bonitate essent, librum *P* secutum esse. Hoc autem ipsum concedere vix possumus, pari utramque scripturam bonitate esse. Res enim haec est. In *V* legitur *praeterea cicatrices advorso pectore*, idemque in libro Basiliensi[22]), superscripto tamen *corpore*; libri *PC corpore* praebent, in *P pectore* superscriptum est[23]). Ac primum quidem non solum verissime sensit Dietschius 'volnera, quae pectore advorso excepta essent, multo laudabiliora et gloriosiora esse quam quae advorso corpore, ergo vel ventre vel pedibus', sed — alia ut omittam — maxime ipsa *pectore* vox confirmatur Quintiliani auctoritate, qui II, 15, 7 haec habet: *Manium Aquilium defendens Antonius, cum scissa veste cicatrices, quas is pro patria pectore advorso suscepisset, ostendit.* Illud autem laudi sibi ducit Marius, se ut fortissimum

---

21) *C* sunt, ut in Iordani editione, primae familiae codices vel omnes vel aliquot; qua nota, quamquam non ignoro ex parte vera esse quae Gerlachius contra monuit, eis locis usus sum, quibus vel de discrepantia totius primae classis (*PC*) et libri *V* agebatur, vel omnino singularum scripturarum aut certa mihi notitia in promptu non erat aut omnino ratio habenda esse non videretur; reliquis locis omnibus Dietschii notas usurpavi.

22) Hunc librum cum Gerlachius (annal. Heidelb. a. 1868) omnium praestantissimum dixerit, miror quod huius loci mentionem non fecit. Quamquam talis qualis haec est scripturae condicio non immerito contaminationis suspitionem movere videtur.

23) De eis, quae in libro *P* superscripta vel in margine adscripta sunt, vide quae infra disputabimus: unde recte a nobis horum rationem non habitam esse intelleges.

quemque pectus hostibus sine timore praebuisse, cuius rei cicatrices testimonia sint.

Sed haec hactenus: iam enim satis apparere puto Iordani iudicium vix stare posse nec probabiliter librum *V* credi a rhetore esse correctum: exempla enim, quae ut hoc evinceret attulit, ex parte in ipso *V* solo recte scripta leguntur, in aliis utrum Vaticani an Parisini scriptura praestet, diiudicari nequit, nullo autem loco manifesta consilio et arbitrio corrigentis atque mutantis grammatici vestigia deprehenduntur. Itaque ad alteram quaestionis partem adgredimur, in qua de locis disputaturi sumus, qui sine dubitatione ad libri *V* auctoritatem edendi sint.

Horum autem primum esse puto Cat. 20, 2, ubi in *V* legitur: *spectata mihi foret*, in *C spectata mihi forent*, in *P expectata forent* (*mihi* inseruit manus prima, *probata — foret* s. s. *p.*). In qua librorum discrepantia Vaticanum veram scripturam servasse iam Ernestus de Leutsch monuit[24]); attamen vel recentissimi editores codices primae classis pluris aestimaverunt: utrumque autem dici posse Langius ad Cat. 31, 1 et Kritzius ad Cat. 10, 1 ed. mai. docuerunt. Aliam vero sententiam Badstuebnerus[25]) amplexus est, qui hanc legem posuit: si praedicatum vel pronomen ad plura nomina appellativa feminini generis pertineat, Sallustium numero plurali neutri generis solere uti: quam de praedicato legem — nam in pronomine alia quoque respicienda sunt — et hoc et tribus ex bello Iugurthino depromptis exemplis confirmare studet. Legimus enim Iug. 38, 8 *nox atque praeda castrorum hostis, quominus victoria uterentur, remorata sunt*; Iug. 52, 4 *plerosque velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt*; Iug. 68, 1 *ubi ira et aegritudo permixta sunt.* Neque vero vidit vir ille doctus paulo aliter in illis locis atque in hoc rem se habere, cum in illis diversae res coniungantur, quae deinde numero plurali neutri generis comprehenduntur: utitur autem Sallustius ibi *et* vel *atque* particula, quae voces copulatas quodammodo distinet, hoc vero loco *que* particula (*virtus fidesque*), cuius vocis vim usumque qui perspexerit, certe quanta in his diversitas sit facile intelleget. Quam distinctionem si quis forte subtiliorem et iusto paucioribus exemplis Sallustianis compro-

24) Philol. t. XXI p. 19. 25) p. 5 commentationis 'de Sallustii dicendi genere' Berolini a. 1863 editae in progr gymnasii Friderico Guilelmii.

batam dixerit, respondendum est ita omnino ullam in hoc genere legem ne ex altera quidem parte constitui potuisse, huius autem, quae particulas respiciat, veritatem ex ipsa earum natura apparere. Accedit denique testis locupletissimus Servius Cassellanus ad Verg. Georg. I, 260, qui, ut iam Leutschius l. s. s. verissime monuit, eo pluris habendus est, quod Vergilii verba haec sunt: *Multa forent quae mox caelo properanda sereno*; in Vergilii igitur carmine numerus pluralis legebatur, Servius autem, ut locum Sallustianum explicaret, *esset* adiecit, quod nequaquam facturus fuisset, si memoriter vel leviter verba Sallustiana afferret, sed ipse quoque numero plurali usus esset. Quam autem saepe in libris numerus singularis et pluralis inter se permutentur, multis exemplis docuit Brentano p. 16.

Alter huius capitis locus, in quo libri *V* auctoritas pluris quam primae familiae librorum habenda est, § 6 legitur, ubi *V nisi nosmet ipsi vindicamus in libertatem*, reliqui omnes *ipsos* scriptum exhibent. De quo loco, quia praestantia Vaticanae scripturae vix dubia est, omnino non essem disputaturus, nisi Kvičala[26]) multis pro libri *P*[27]) et ceterorum scriptura dixisset. Illud autem, quod veri simile esse negat, si *ipsi* vox a Sallustio profecta esset, *ipsos* pro *ipsi* in verborum ordinem irrepere potuisse, ut iam missum faciamus (nam id nihili esse quivis videt), ne sententiae quidem huius loci *ipsos* accusativus aptus est: nam verbis *nosmet ipsos vindicamus in libertatem* contrarium est *alios* vindicasse in libertatem, neque vero illud, quod Kvičala proposuit 'usque ad hoc tempus alios eis, quae iniuria parta habebant, frui quiete passi estis'. Quod tamen gravissimum est, repugnat Kvičalae explicatio sermoni non solum Sallustiano, sed omnium scriptorum latinorum. Est enim notissimum in tali genere hos rarissime nec sine causa gravissima, quam hic nullam esse modo vidimus, *ipse* pronominis casu obliquo usos esse, quam consuetudinem Sallustium quoque sequi his exemplis docemur: Cat. 31, 1. 52, 2. Iug. 6, 1. 14, 4. 18, 7. 41, 9. 58, 6. 62, 9. 85, 31. 113, 1. 113, 3. Hist. III, 61, 6.

Ita § 10 quoque *in manu vobis est* libri *V* scripturam contra *PC* auctoritatem omniumque editorum sententiam ipse Iordanus

26) in Diurn. gymnas. Austr. a. 1863 tom. XIV p. 604.

27) Miror quod hic vir doctus falso dicit *ipsi* in libris *V* et *P* legi, cum ex Dietschii et Linkeri editionibus, quae vera scriptura esset, cognoscere potuerit.

in verborum ordinem recepit, iniuria ob id ab Eussnero vituperatus[28]). Nam iam allocutus est Catilina coniuratos: 'quae quo usque patiemini fortissumi viri? nonne emori per virtutem praestat quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienae superbiae ludibrio fueris, per dedecus amittere?' itaque appellatio ei continuanda est dicendumque *vobis est*, non *nobis*, cum de illis blande verba faciat neque melius vel acrius ad bellum civile eos adhortari possit quam fortitudine eorum viribusque praedicatis.

Neque minus § 15 *hortantur* libri *V* scriptura sola vera est, quam editores praeter Linkerum, Dietschium, Iordanum neglexerunt. Nam quae res sint, quibus socii ad coniurationem perficiendam adducantur, Catilina paucis eisque gravissimis verbis monet: itaque indicativus hic non minus locum habet quam in oratione huic simillima, qua milites ut fortiter et strenue proelium ineant hortatur: qua quidem in oratione (58, 19) haec legimus: 'animus aetas virtus vostra me hortantur, praeterea necessitudo, quae etiam timidos fortes facit'; prorsus autem eis, de quibus disputamus, similia sunt haec: 'res tempus pericula egestas belli spolia magnifica magis quam oratio mea vos hortantur' (20, 15). Quibuscum artissime proxima cohaerent: *vel imperatore vel milite me utemini:* in quibus miror quod Iordanus hanc librorum *VC* scripturam *utimini* formae, quae in *PC* est, posthabuit. Ita autem ut sentiam, duae sunt causae: una, quod futurum multo maiorem quam imperativus vim habet, quam rem tantum significasse satis est: (Sallustius enim Catilinam iam facit vaticinantem, quod revera evenisse 60, 4 tradit: 'strenui militis et boni imperatoris officia simul sequebatur'); altera haec, quod locus huic simillimus exstat Iug. 85, 47: 'egomet in agmine aut in proelio consultor idem ac socius periculi vobiscum adero meque vosque in omnibus rebus iuxta geram'. Accedit quod veri similius videtur futurum in imperativum mutatum, quam hunc ex illo factum esse.

In his autem locis numerare possumus etiam Cat. 33, 2, ubi *V*, etsi non ex omni parte verum servavit, leviore tamen quam ceteri vitio affectus est. Nam *saepe maiores vestrum miseriti* 'scripturam sincerissimam' Gellius N. A. XX, 6, 14 dicit, quae in plerisque libris oblita sit *vestri* pronomine superscripto. Liber *V* autem hoc *vestri* servavit, quod ceteri ignorantia formae

28) Exercit. Sall. p. 24 (181) annotat 1.

quae exstabat genuinae *vostri* cum alterius personae pronomine mutaverunt, quamquam haec a sententia plane abhorret. Opponuntur enim inter se seditiosi Catilinarii et pristini temporis, opponendi igitur sunt ex altera parte maiores senatus aetatis Catilinariae et ei qui antea fuerunt: neque vero, qui tam humilibus precibus senatum adeunt, eos decet commemorare quid sui maiores fecerint, sed, ut senatui consilium suum persuadeant, docere quid maioribus senatus pristinaeque optimatium factioni olim placuerit.

Cat. 35, 1 *V* veram verborum collocationem servavit *in magnis meis periculis*, cum Sallustius nusquam fere praepositionem inter adiectiva[29]) et substantiva ex illa pendentia interponat neque hoc loco ulla talis collocationis causa in promptu sit. Omnia enim quae exstant exempla haec sunt: Cat. 37, 11 *id adeo malum multos post annos in civitatem revorterat*; Iug. 9, 4 *paucos post annos*; ibid. 42, 4 *paucos post annos*: in quibus sermoni vulgari, quo haec tamquam dicendi formulae in communem consuetudinem abierant, Sallustium cessisse apparet; alia autem, quae olim legebantur ut Cat. 37, 2 *multis de causis*, Hist. III, 73 *ut solet extremis in rebus*, nunc ad optimorum librorum fidem communi virorum doctorum consensu correcta sunt. Restat unum, quod non eadem ratione atque ea quae supra attuli explicari potest: Hist. II, 82 *nam procul et divorsis ex regionibus*. Sed hoc exemplum Charisio (II p. 215 K.) debetur: in eis autem, quae a grammaticis petuntur, solum id verbum omni dubitatione carere de quo agit grammaticus, cetera saepe sat neglegenter afferri notum est: ut ille quidem locus prorsus nihil probet. Est autem idem luculentissimum exemplum, quo perspiciatur librum *V* pristinum verborum ordinem servasse nec elegantiorem potius quam simpliciorem scripturam prodere, quae in reliquis demum eisque optimis mutata sit.

Novo autem exemplo praestantia libri *V* atque integritas apparet Cat. 51, 4, ubi in illo haec exstant: *magna mihi copia est memorandi, patres conscripti, quae reges atque populi ira aut misericordia inpulsi male consuluerunt* e. q. s.[30]), in *P* autem *qui . . . . . consuluerint* legitur, ceteri bonae notae libri aut *qui* aut *quae* exhibent, in omnibus autem *consuluerint* scriptum est.

29) De substantivis cum pronominibus coniunctis hanc legem valere ne ego quidem dixerim.

30) Sic in *V* legi etiamnunc puto: quamquam Wirzius p. 8 scribit in *V* esse *quae . . consuluerint.*

Ac primum libri *P* scripturam multo minus aptam esse ex eis quae sequuntur apparet: *sed ea malo dicere, quae maiores nostri contra lubidinem animi sui recte atque ordine fecere*: ita ut nullo modo, si severius sententiam examinaveris, *qui* pronomini opponere possis haec: *quae maiores nostri recte fecere*; nam hoc omnino non agitur, qui reges quive populi odio vel ira commoti res male gesserint, sed id premitur, quid illis animi affectibus haud recte factum sit: quam veram sententiam esse vel ex eo elucet, quod Caesar hac oratione, quid statuendum sit, monere vult. Indicativo autem hic locum esse proximae enuntiationis verbum atque ipsius loci sententia declarat: nulla enim causa est cur coniunctivus ponatur, cum totum enuntiatum non aliam vim habeat nisi hanc: 'possum commemorare male a regibus atque populis decreta et facta'. Itaque etiam ea quae Iordano placuit interpungendi ratio non tam apta videtur quam Linkeriana: non enim puncto quod dicunt separandae sunt hae duae enuntiationes, sed levius distinguendae, cum artissime inter se nexae sint. Eam autem scripturam cur Eussnerus repudiet non intellego, quamvis diligenter lectis relectisque his eius verbis[31]): 'cum vero hoc loco indicativus positus sit (*fecere*), dubitatione caret quin in priore quoque enuntiato, pronomine *quae* pro interrogativo *qui* substituto, indicativus ponendus eaque lectio restituenda esset, quam praebet *V*: quam ob rem hic quoque exemplum deprehendere mihi videor, quod Sallustianum variandi studium a Vaticano correctore minus intellectum structurae, quo concinnior existeret oratio, mutandae fuit causa'. Nam variandi studium in Sallusti libris nemo, qui diligenter id genus persequatur, deprehendat, ut qui scriptor multo magis illud sectetur, ut vim orationis augeat enuntiationibus inter se similibus et procul positis, ut huius ipsius capitis § 3; luculentissimo autem exemplo sunt prooemia, quibus id quod dixi apprime confirmari facile unus quisque pro se ipse experiri poterit. Contra illius variandi studii exempla neque Eussnerus attulit neque mihi satis manifesta praesto sunt.

Aliter autem res se habet statim proximo exemplo Cat. 51, 5, ubi cum in *P* et nonnullis aliis primae familiae libris legatur *Rhodiorum civitas magna atque magnifica, quae populi Romani opibus creverat, infida atque advorsa nobis fuit*, *V* cum *P*$_1$ et

31) nimirum nulla littera mutata a me transcriptis ex Exercit. Sall. p. 15 (172).

P_2 *et* pro *atque* servat. Quam scripturam ut elegantiorem, cum *magna atque magnifica* praecedat, iam Wirzius p. 8 praetulit, ab Eussnero hac de causa valde vituperatus[32]), ut qui neget 'a singularum quarundam lectionum elegantia ad codicum bonitatem concludi debere' (sic enim scribit). Verum primum non sunt singulae quaedam scripturae elegantiae, e quibus de libri *V* praestantia iudicatur, sed multae, neque omnino alia via de librorum ms. auctoritate decerni potest; deinde certe alterum illud multo audacius est, e nonnullis erroribus, qui vel inscitiae vel neglegentiae librariorum debentur, codicem sibi informare ab aliquo rhetore mutatum et interpolatum. Hac autem in causa quamvis ante omnia exempla conferenda essent, tamen neque Wirzius, cuius hoc certe erat, neque Eussnerus ulla attulit: qui enim in hanc quaestionem intentus Sallusti libros perlegerit, non sane plane inusitatam esse eiusdem coniunctionis iterationem inveniet: (velut similiter legitur Iug. 14, 19 'magni estis *et* opulenti, omnia secunda *et* oboedientia sunt'; ibid. 43, 1 'acri viro *et* quamquam advorso populi partium, fama tamen aequabili *et* inviolata'): verum idem tamen intelleget multo et elegantiorem et usitatiorem varietatem particularum esse, ut ib. 35, 5 'itinera egressus*que* eius, postremo loca *atque* tempora cuncta explorat'; ib. 36, 2 'Iugurtha trahere omnia *et* alias deinde alias morae causas facere, polliceri deditionem *ac* deinde metum simulare'; ib. 92, 1 'magnus *et* clarus antea maior *atque* clarior haberi coepit'. Accedit etiam alterum, meo quidem sensu haud plane spernendum. Consentiunt enim, ut supra iam significavi, cum Vaticano P_1 et P_2, quorum priorem Wirzius (p. 2) gemellum libri *P* dicit, quod ipse Iordanus non plane improbavit[33]), ita ut vix persuaderi mihi patiar *atque* particulam et in *V* et in P_1 (et P_2) cum *et* voce mutatam esse, Parisinum n. 500 autem solum veram scripturam servasse. Itaque cum animadvertissem librum *V* cum Parisino 1576 (P_1) non semel tantum vel bis consentire discrepante Parisino 500 (*P*), non abs re esse putavi haec exempla diligenter collecta in posteriore parte huius commentationis aspectui proponere, ratus fortasse vel in hac ipsa re viros doctos commendationem auxiliumque eius, quam defensurus sum, sententiae esse inventuros.

Nunc vero ad Cat. cap. 51 redeamus, ubi etiam § 9 libri *V* scriptura multo quam ceterorum aptior est: ille enim cum praebeat

32) Exercit. Sall. p. 8 (165). 33) Herm. vol. III p. 460.

plerique eorum qui ante me sententiam dixerunt, in reliquis *sententias* legitur. Quae, quamvis fortasse utrumque a Sallustio dici potuerit, ita tamen inter se differunt, ut *sententias dixerunt* hoc significet: 'cum suam quisque sententiam exponeret et qua in re aliis non assentiendum aliterque statuendum esse explicaret', *sententiam dixerunt* vero simplicem notionem hanc contineat: 'cum sententiam rogati essent': neque aliud quicquam Caesar potest hoc loco dicere velle.

Neque plus § 15 libro *P* dari potest, unde Iordanus contra librorum *V* et P_1 auctoritatem, qui *severior* exhibent, *saevior* edidit: id quod ferri prorsus nequit, cum nullo modo, ut iam Herzogius verissime monuit, *saevior* adiectivum cum *paulo* adverbio conciliari possit: qua quidem voce Caesar consulto utitur, ut doceat mediocrem quoque ac per se iustissimam severitatem, qua contra homines sceleratos magistratus aliquis utatur, ab aliis magnopere reprehendi ac vituperari. Quodsi *saevior* dixisset, iam aliquid culpae magistratum in se commisisse concederet, id quod nullo pacto dicere vel vult vel potest: nam Catilinarios morte multare minime saevum esse ipse profitetur (§ 17), sed severius. Itaque haud dubie *severior* scriptura recipienda est, e qua (quamquam hoc levius esse largior) facilius *sevior* oriri poterat, quam *sevior* cum *severior* forma mutari. De hoc autem loco uberius dixi non solum quo praestantiam libri *V* ostenderem, sed ut simul docerem nimis sedulo Iordanum aliquando iustoque cupidius vel mediocris bonitatis libri *P* scripturam in ordinem verborum recepisse: quae ratio num consilio libri *P* quam constantissime sequendi satis excusetur, affirmare non ausim.

Huic loco adicio § 21, ubi *PC in sententiam*, VP_1E *in sententia* exhibent, neque tamen quisquam monuit, si strenue et considerate verba examinaveris, *in sententiam* ferri omnino non posse. Nam si Silanus id quoque statuisset, uti prius verberibus in Catilinarios animadverteretur, hoc ipsum eius sententia iam esset comprehensum vel ipsa potius sententia fuisset: itaque cum Silanus ipse hanc severam sententiam tulisset, Caesar interrogare eum non potuit, cur alterum non addidisset. *in sententia* autem, quod Herzogius nullo argumento adiecto ne latinum quidem esse voluit, nihil aliud est nisi 'cum sententiam diceres'. Haec autem scriptura cum maiorem difficultatem quam librorum plurimorum primae classis verba praebere videretur, multo veri similius est in his libris difficiliorem et exquisitiorem lectionem cum faciliore

et cotidiana loquendi forma mutatam esse: quae tamen a sententia abhorret. Itaque nos in his ipsis libris manum emendatricem deprehendere non iniuria nobis videmur: id quod de hoc solo loco indicasse satis erit, quamvis idem cadere in Cat. 52, 35. Iug. 14, 1. 9. 85, 14 al. demonstrari possit.

Sic etiam, quam rationem artis criticae factitandae Iordanus aliique editores secuti sint in § 25, minus perspicio, ubi ex solo *P neglegeris* ediderunt: quod tamen fundamentum valde infringitur loco Iug. 40, 1, ubi in *P* ceterisque bonis praeter *P*$_3$*B* libris *neglexisset* legitur: ut, si sibi constare voluerint, hoc quoque de quo disputamus loco C. 51, 25 *neglexisset* edendum fuerit. Cum vero hi loci soli sint, in quibus formae a perfecto huius verbi derivatae in Sallusti libris leguntur, neque satis firmam codicum scripturam esse utroque loco manifestum sit, solum probandum hoc puto, ut Cat. 51, 25 in *P*, Iug. 40, 1 in *B*$_3$*P* erratum esse a librariis, non esse his formis ipse Sallustius usus credatur: quamquam non ignarus eorum quae apud Lachmannum in Lucret. p. 350 exstant.

Neque magis credendum est § 33 libros *PC* veram verborum collocationem servasse: *ea res magnae initium cladis fuit*, cum nullus locus exstet quo Sallustius sic sit locutus, eiusque dicendi generi sola apta et usitata sit Vaticani scriptura *initium magnae cladis* fuit.

In § 40 quoque verum soli Vaticano debetur. Ubi quod reliqui omnes *circumvenire* exhibent, id quomodo Gerlachius[31]) defendere possit non video, ut recte Iordanum, Dietschium, Iacobsium *circumveniri* edidisse prorsus persuasum habeam.

Nunc vero, ut supra promisimus, repetenda est nobis loci Cat. 52, 1 memoria, qui in eorum numero est, quos Iordanus protulit ut librum *V* a grammatico aliquo correctum esse doceret. Sed id immerito, ut videtur: nam dubitari vix posse arbitror, utra vera verborum collocatio sit. *V* enim hunc ordinem praebet: *longe alia mihi mens est*, quem etiam Servius Fuld. ad Verg. Aen. I, 13 testatur: primae autem classis libri habent *longe mihi alia mens est*: sic autem recte verba collocata esse Iordanus propterea putat, quod Sallustius pronomen personale primae

34) Annal. Heidelb. 1868: ‘*circumvenire* ist um so weniger zu ändern, als das Begehen der Thaten viel stärker als das Geschehen den Sinn des Sinn des Schriftstellers ausdrückt, daher *circumvenire* nicht mit *fieri*, sondern mit *alia* parallel steht’.

enuntiationis voci subiungere soleat. Quam legem num Sallustius sibi imposuisset ut cognoscerem, omnes Sallusti locos perscrutatus nonnulla subtiliora haud esse neglegenda inveni. Nam cum omnino aliquid intersit inter ea exempla in quibus nominativus pronominis reperitur, atque illa in quibus casus obliquus legitur, tum in sententia atque in vi, quam quoque loco pronomen habet, summum momentum positum est. Si enim intra primam et alteram enuntiationis vocem inseritur, vis et gravitas eius minuitur neque aliam illud quam graeci sermonis encliticae vim habet[35]): itaque hanc collocationem saepissime (XI locis) reperimus, ubi *mihi* ad *videtur* verbum pertinet neque ullius fere ponderis est. Quod quidem in hunc locum nequaquam cadit: nam iam initio orationis Cato longe aliter atque Caesarem omnesque eos, qui leniter de crimine et poena Catilinariorum statuant, sese sentire dicit. Itaque *mihi* pronomen non eum locum obtinere potest, quo positum omni vi privatur, sed recte sic tantum scribitur: *longe alia mihi mens est.* Sententiae autem rationem diligentissime a Sallustio habitam esse neque legem illam pronomen altero enuntiationis loco ponendi constanter eum esse secutum hi loci docent: Cat. 2, 9 *verum enim vero is demum mihi vivere atque frui anima videtur*; Hist. I, 41, 1 *plurumum timoris mihi faciunt*; ibid. I, 41, 18 *at obiectat mihi possessiones* e. q. s.; ib. I, 41, 26, aliique similes: quibus exemplis, quanta cum cura Sallustius sic scripserit, optime intellegi potest. Itaque etiam Cat. 51, 35 librum *V* solum pristinam scripturam servasse puto *atque haec ego* (ceteri *atque ego haec* praebent), cum in *haec* voce summum momentum positum sit, quod *ego* pronomine interposito haud paullum debilitari manifestum est. Caesar enim ut senatum impediat quominus in Catilinam eiusque socios gravius animadvertat, quantae calamitatis atque miseriae Sullae victoria eiusque proscriptiones, laetissimo animo primo receptae, causae fuerint describit, monetque quanta in mala tam severae animadversiones vertere possint; ne tamen Ciceronem eiusque factionem offendat, statim subicit *atque haec ego* (tanta mala tantamque calamitatem) *non in M. Tullio neque his temporibus vereor, sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt.*

Sic etiam 52, 18 sola vera est libri *V* memoria *intentius*, quamvis omnes reliqui *attentius* exhibeant: idque non una de

35) cf. R. Klotzium ad Cic. Lael. 4, 16 p. 113.

causa. Nam *intentius* requiritur propter ea quae opponuntur: in eodem enim enuntiato animus *infirmior* pro contrario est, cui in priore parte vix respondere *attentius* potest, quod ad sensus tantum pertinet neque vires quoque efficaces significat; tum in altera enuntiatione *languere*, quod pigritiam atque inertiam in agendo denotat, *intentius* ut contrarium, non *attentius* flagitat. Altera autem non spernenda, ut mihi quidem videtur, causa haec est, quod *attentus* in Sallusti libris omnino non exstat, quem *intentus* vocabulo persaepe usum esse haec exempla docent: Cat. 2, 9. 4, 1. 6, 3. 16, 5. 27, 2. 54, 4. 60, 3. Iug. 23, 1. 30, 3. 40, 3. 44, 3. 46, 5. 49, 3. 53, 5. 55, 3. 57, 3. 76, 2. 89, 3. 91, 4. 93, 4. 94, 3. 5. 100, 4.

Idem de *V* iudicium faciamus necesse est § 29, ubi *V* et P_1 *prospere omnia cedunt* scriptum exhibent, in *PC prospera omnia cedunt* legitur. Vaticanum et P_1 sequendos esse recte Wirzius p. 8 demonstravit his locis allatis: Tac. ann. I, 28 *prospere cessura, quae pergerent*; Cic. Phil. XIII, 19, 40 *quasi ei pulcherrime priora processerint*; Cic. ad fam. XII, 9, 2 *ut omnia prospere procedant*; Sall. Cat. 26, 5 *neque insidiae prospere cessere*; Iug. 63, 1 *cuncta prospere eventura*: (item Liv. V, 51, 5 *omnia prospere evenisse*). Contra quae exempla ut libri *P* scripturam defenderet Eussnerus, non satis erat attulisse 'similem similium' verborum structuram Cat. 20, 2 *opportuna res cecidisset* et Cat. 26, 5 *quae occulte temptaverat aspera foedaque evenerant:* quae quantum ab eo, in quo cardo rei vertitur, distent nemo non intellegit.

Sic etiam § 32 causa non est cur *atque* librorum *VB* scripturam neglegamus, quam Dietschius olim sententiae aptiorem esse recte sensit[36]): nam *di atque homines* unam notionem efficiunt, ita ut Lentulus ea commisisse dicatur, quibus di simul et homines laederentur.

Etiam caput 58 habet, quo libri *V* auctoritas confirmetur. Ac primum quidem § 11 ille cum aliis veram verborum collocationem praestat *pugnare pro potentia paucorum*, quem ordinem multo quam ceterorum librorum pulchriorem esse, qui hanc enuntiationem semel legerit, statim agnoscet: vix autem, nisi forte arbitramur nihil non scribi potuisse a Sallustio, hic putandus est tam claudicantem enuntiationem, qualem *PC* praebent, compo-

36) ed. a. 1859. Commentat. cap. V p. 113.

suisse. Hanc autem collocationem non ab illo, quem Iordanus finxit, rhetore profectam esse ex eo apparet, quod eandem alii quoque libri praebent.

Sic etiam § 12 *V adgredimini* cum aliis servavit, *PC* autem *adgrediamini* exhibent, quod minus probabile esse iam Dietschius vidit, imperativum graviorem Catilinaeque ingenio aptiorem dicens[37]: quod quamvis verissimum sit, alterum tamen adiciendum esse hoc videtur, Sallustium in talibus cohortationibus contionantes semper imperativo utentes introducere, nusquam coniunctivo. Sic verbi causa factum videbis Cat. 52, 33. Iug. 10, 8. 14, 6. 25. 85, 47. alibi.

§ 13 vix monendum esse puto librum *V* cum paucis (eisque haud bonae notae vel potius interpolatis) verum prodere *vobis*, quod recte in verborum ordinem recipitur; nam primae personae pronomen vel propter ea quae sequuntur a bona atque integra sententia prorsus abhorret.

Nunc ad eos locos, quibus in libro de bello Iugurthino Vaticani auctoritas praestat, nobis veniendum est. Quorum primum ex Iug. 10, 1 promo. Ibi enim haud dubie vera est verborum collocatio quam *V* (cum paucissimis eisque deterrimis, ex illo ipso subinde correctis[38]) exhibet: *parvom ego te, Iugurtha, amisso patre sine spe, sine opibus in regnum meum accepi*: quo loco ab Iordano, Dietschio, Iacobsio ad librorum *PC* auctoritatem *ego, Iugurtha, te* editum non probo, exemploque hoc esse puto quam certo Sallusti dicendi genere diligenter explorato non pauca paullo rectius conformari possint. Nam cum omnino lex sermonis latini sit, ut bina in eadem enuntiatione pronomina quam proximo intervallo se excipiant, cuius rei exempla innumerabilia in promptu sunt, tum Sallustium vix aliter locutum esse apparet vel ex Cat. 52, 5. Iug. 31, 6. ib. 10, 7: *ceterum ante hos te, Iugurtha, qui aetate et sapientia prior es, ne aliter eveniat providere decet*; maxime autem si contuleris ex oratione Memmi Iug. 31, 27 haec: *neque ego vos, Quirites, hortor.* Conferri potest etiam or. Phil. hist. I, 48, 9 *quod ego vos oro atque obsecro, patres conscripti.*

Quam autem male saepius res geratur libri *V* auctoritate neglecta, luculentissimo exemplo Iug. 10, 2 probatur, ubi ille

37) ed. a. 1868. praef. p. VII.

38) Adieci haec, ut indicarem quales essent libri qui in Iordani editione *C* littera notantur.

solus Sallusti manum servavit: nisi quis forte in codice *t*[39]) quidquam esse fidei putaverit. Omnibus enim, quae mihi quidem in manibus sunt, in editionibus quod *PC* tradunt legitur: *novissume rediens Numantia meque regnumque meum gloria honoravisti*, id quod viri docti satis bene, usitate, eleganter dictum esse putaverunt his exemplis adscriptis: Cat. 12, 4 *verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant*; ibid. 35, 3 *non dignos homines honore honestatos videbam.* Neutrum tamen exemplum satis aptum esse omnes fugisse videtur: nam aliud est 'decorare', aliud 'honorare', aliud est 'honore honestare', aliud 'gloria honorare'; 'honorare' enim, siquidem et lectione mea et lexicis satis confidere licet, magis definitam et specialem sententiam habet, quae omnibus fere locis non multum ab illo sermonis nostri 'eine Ehre erweisen' distat. Quod tamen summum est, multo exquisitius totiusque loci sententiae (quippe quae in summis, sed eis falsis laudibus adulationibusque Iugurthae a Micipsa tributis constet) multo aptius est quod *V* praebet *onerare*, quam vocem librarii, cum vel mori[40]) sui temporis addendae *h* litterae indulgerent, vel prope positi *gloria* vocabuli notione moverentur, cum *honorare* verbo mutaverunt. *onerandi* autem verbum, quod longe exquisitius est et graviorem sententiam atque concinniorem reddit, sic usurpari ex his locis cognoscitur quos adscripsi: Plaut. Capt. IV, 17 (774) *ita hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies*; Stich. IV, 1, 27 (532) *nos potius oneremus nosmet vicissatim voluptatibus*; Liv. IV, 13 *onerare atqm laudibus*; cf. Liv. X, 14. XXXV, 11; Plin. ep. I, 8 *onerat te quaesturae tua fama, onerat testimonium principis, onerat tribunatus*; III, 3 extr. *a te meque monebitur, quibus imaginibus oneretur, quae nomina et quanta sustineat.* Adde ipsius Sall. Iug. 12, 3 *promissis onerat impellitque.*

Quot bonae scripturae ex *V* peti possint, etiam paullo post 14, 1 apparet, ubi cum in reliquis libris omnibus vel *in adfinium locum* vel *in adfinium loco* legatur, *V* solus *adfinium loco* exhibet. Quam scripturam cum omnes praeter Gerlachium editores germanam iudicaverint, supervacaneum esse puto pluribus explicare, cur eam infra in numero locorum a *V* recte traditorum

39) *t* est codicis Turicensis manus posterior.

40) Vide Dietschii ed. 1859 Comment. cap. I p. 3. Cf. Cat. 2 *honeri*, Cat. 3 *nichilhominus*, ib. 6 *abhorigines*, ib. 25 *inherat* (in cod. *P*); Iug. 85, 5 *hora* pro *ora* in cod. *P1.*

posuerim: Gerlachium autem modeste monuerim exempla, quae *in* praepositioni defendendae attulit[41]), non omni ex parte in Sallusti verba quadrare; tum vero maxime, locum quo praepositio in libris ms. collocata est a sermone pedestri plane abhorrere, ut vel hinc appareat eam a Sallustio non esse profectam.

Non item § 3 inter viros doctos convenit, ubi libri vario modo discrepant, ita vero ut primae classis libri interpolati esse videantur: P_1 enim *possem, PC posse me, V posse* prodidit. Ac primum quidem hoc dicendum videtur, per se horum nihil a sermone latino alienum esse: duo igitur respicienda esse apparet, orationis concinnitatem atque consuetudinem Sallustianam. Qua in causa a vero aberrare mihi videntur qui Sallustium censeant in una eademque enuntiatione ter constructionem mutasse, ut primum coniunctivus ex *velle* penderet, dein infinitivus, denique *ut* particula. Verum priora duo enuntiationis membra, quae unam sententiae partem continent (quam Iordanum bene perspexisse interpungendi qua utitur ratio docet), verborum quoque pari constructione significanda erant. Itaque pro certo habeo *me* grammatici vel librarii additamentum esse, qui accusativo orationem carere non posse putaret: quod quam falsum sit, ex locis huic simillimis ut Iug. 76, 1. 88, 5. 102, 2 apparet; *possem* autem, quod in uno P_1 legitur, aut calami lapsui aut librarii illius aetatis coniecturae debetur.

Etiam in primae classis libris saepius addita reperiuntur, quae prorsus supervacanea vel etiam falsa sint: id quod § 9 bis usu venit. In *V* enim legitur: *eheu me miserum! hucine, Micipsa pater, benificia tua evasere, ut quem tu parem cum liberis regnique participem fecisti* e. q. s.: neque quisquam in his verbis quidquam desideraverit; in *PC* autem *cum liberis tuis* scriptum est. *tuis* igitur pronomen prorsus praeter rationem additum esse facile apparet: nam neque ullum momentum vel vis in eo posita est, neque omisso pronomine ulla sententiae obscuritas oritur, nec fieri potest ut *liberis* de aliis nisi de Micipsae filiis accipiatur. Itaque rectissime Dietschius adnotavit[42]): 'quam subtilis fuisset

---

41) ed. a. 1827 vol. II p. 232: Cic. Verr. VII, 28 *in piratarum locum cives Romani hostilem in modum cruciati et necati sunt*; Iust. XII, 12 (qui scriptor vix is est, quo hac in re quidquam probari possit): *iussus praecesse Macedonibus in Antipatri locum.*

42) edit. a. 1868 praef. p. 8.

ille grammaticus qui *tuis* eiecisset, equidem magis mirarer quam ex glossa illud in libros inrepsisse'. — Idem dicendum est de Iug. 24, 3, ubi *mei* in *V* merito omittitur.

Eiusdem generis vitiorum in *PC* exstantium etiam alterum exemplum eadem § nobis offert: in omnibus enim ibi libris ms. praeter *V* legitur (s. s. *P*) *numquamne ergo familia nostra quieta erit?* Quibus in verbis *ne* particulam falsam esse iam Kritzius suo iure monuit, cum 'latini ubicunque dolorem vel indignationem ita significare velint, ut ostendant id quod queruntur aut mirantur male convenire cum eo quod fieri deceat, sola *ergo* particula utantur'[43]). Itaque qui Gerlachius et Iordanüs, quos neque Dietschius neque Iacobsius secuti sunt, *numquamne* scripturam probabiliter defendere possint, parum assequor. — Neque minus aptum Iug. 14, 11 exemplum est, quo doceatur primae classis codices a librariis suopte arbitrio correctos esse vel potius corruptos: nam de libri *V* correctore hoc quidem loco certe cogitari nequit. Omnes enim, qui Iordani sententiam amplexi librum *V* grammatici alicuius libidine mutatum esse dicunt, quamvis vel latissime, ut Eussnerus, hunc mutandi campum patere putent, alterum tamen concedant necesse est, grammaticum illum rariores atque exquisitiores locutiones in usitatas atque vulgares mutavisse. Hoc autem loco in *V non quit* legitur, in reliquis omnibus est *nequit*, id quod posterioribus potissimum saeculis multo usitatius fuisse nemo nescit: itaque haec librariis causa mutandi fuit.

Sic rursus eadem § in *PC* vera pronominis collocatio mutata est: legitur enim in illis *ut ubivis tutius quam in meo regno essem*, *V* autem *in regno meo* scriptum exhibet. Sed iam Woelfflinus, cuius accuratissima et diligentissima de hoc genere disputatio[44]) a recentissimis editoribus non satis magni aestimata est, Sallusti consuetudinem pronominum collocandorum observavit atque hunc quoque scriptorem eam sibi legem imposuisse invenit, ut *meum tuum suum* pronomina tum tantum substantivo quo pertinent praemitterentur, si summum momentum in pronomine positum vel si cum nomine substantivo etiam adiectivum

43) ad Iug. 14, 9 p. 79 ed. mai. cf. Hand de partic. lat. vol. II p. 454 § 3.

44) Philol. vol. XVII p. 522. Hoc autem loco Woelfflinus docuit etiam Iug. 24, 8 eam verborum collocationem, quae in *V* legatur, solam veram esse recteque edi *quid est reliquom nisi vestra vis* e. q. s.

coniunctum esset: nemo autem, opinor, illo loco ad eam excusationem confugiet, ut etiam in pronomine aliquid momenti inesse arguat, quod quantillum contra alterius vocis vim valeat quivis sentit. Libri *V* autem scripturam hic quoque probissimam esse optime docent haec exempla: Iug. 10, 1 *in regnum meum*; 10, 2 *meque regnumque meum*; 24, 5 *simul amicitiam vostram et regnum meum sperare*.

§ 18 levior error omnium primae familiae librorum est *nc* pro *neu* Vaticani scriptura, de qua dubitari nequit: cui tamen rei ne ego quidem quidquam tribuo praeter hoc, quod inde aliis similibusque vitiis comparatis apparet non admodum diligenter accurateque iam archetypum, ex quo tota haec familia fluxit, scriptum fuisse. Neque multo maiorem vim habet quod § 21 in *V* recte scriptum est *quoius*, quod ab ipso Sallustio originem ducit, primae autem familiae libri *cuius* recentiorem formam praebent: ita ut hoc loco certe intellegatur in his libris rariora atque exquisitiora, etiam si litteras ipsas respicias, cum usitatis et cotidianis mutata esse.

Manifestum autem mutationis, quae explicandi studio debetur, exemplum in libris primae familiae deprehendere mihi videor § 21, quo loco *P* cum omnibus et optimae et infimae notae libris *ut ille qui nunc sceleribus suis* e. q. s. praebet, in P_1 et P_4 (𝔐) *ne* superscripto *ut* legitur, *V* solus *ne ille* e. q. s. simpliciter exhibet. Quod solum verum rectumque esse inter omnes constat; librarii autem, cum quid *nc* particula sibi vellet ignorarent, *ut* superscripserunt, quam vocem plerique genuinam esse rati pro *ne* particula Sallusti verbis inseruerunt, ei autem qui codices P_1 et P_4 scripserunt longe accuratissime exempli archetypi scripturam secuti $\frac{ut}{ne}$ pinxerunt.

Etiam in Memmi oratione[45]) c. 31 loci reperiuntur, in quibus libri *V* scripturam veram esse facile appareat. Quorum in numero primus est § 4, ubi *V* genuinam verborum collocatio-

45) Exstat de hac oratione singularis libellus C. A. F. Widmanni: ‘Quaestio de Sallustiani Memmii oratione’, editus Blabirae a. 1857. Quem ea de causa commemoravi, ne quis, sicut ipse opinatus sum, putaret inveniri in eo libello res quae ad verba scriptoris restituenda vel ad Memmium pertinerent, eumque multa opera anquirendum esse. Continet enim praeter verba Sallusti in nostrum sermonem translata nihil nisi disputationem quattuor paginis finitam, qua docetur quomodo extr. or. § 28 cum ceteris cohoereat et consentiat, quae sine ullo damno neglegi potest.

nem servavit *potentiae factionis*. Solet enim Sallustius genetivum ex substantivo pendentem, nisi singularis causa, ut maior quaedam gravitas vel singulare momentum aliquod in genetivo positum, ut res aliter instituatur postulat, ei ex quo pendet nomini postponere, velut (ut unum ex innumerabilibus exemplis adscribam) Iug. 27, 2 *infestus potentiae nobilitatis*; illic autem cur *factionis* notio maiore vi efferatur perspici nequit. — Maioris autem momenti est quod § 10, cum in ceteris libris *honori non praedae habeant* legatur, Vaticanus solus *honores non praedas* exhibet: ut tamen, utrum rectius dicatur, haud difficile diiudicatu sit. Nam quod omnes praeter Dietschium viri docti librum *P* secuti ediderunt *honori non praedae habeant*, in eo nihil aliud inesse potest nisi hoc: ostentare nobiles sacerdotia, consulatus, triumphos perinde ac sic eis utantur ut inde honorem atque gloriam capiant, nec vero imperiis et magistratibus utantur quibus aerarium expilent et vectigal regum populorumque accipiant. Quorum alterum nullo modo hoc loco dici rectissime iam Dietschius[46]) monuit, qui ex *P honori*, ex *V praedas* in ordinem verborum etiam nuper recepit. Quod quamvis fortasse dici potuerit, sunt tamen quae me quominus assentiar impediant. Ac primum quidem recte fieri vix potest, ut in priore enuntiationis parte primam codicum familiam, in altera librum *V* verum testari censeamus; deinde si modo ita, uti Dietschio visum est, statuamus, alterum hoc reputandum est, *habere*[47]) alia notione subiecta cum *honore* voce, alia cum *praeda* coniunctum esse: ita ut orationis concinnitas, hoc loco prorsus necessaria neque usquam, si per scripturae varietatem licet, a Sallustio abiudicanda, mirum quantum violetur. Tum vero, quod summum est, ipsa sententia postulare videtur ut Vaticani auctoritatem sequamur, cuius quidem verba aptissima sunt, si in hanc partem explicantur ut Memmius dicat: incedere nobiles per ora populi magnificos, sacerdotia et consulatus, partem triumphos suos ostentantes, proinde quasi ea adepti sint, dum populus, ut eos honoraret atque pro meritis ornaret, imperia eis mandavisset, non ipsi per fas ac nefas haec omnia arripuerint.

Neque minus § 17 *V*, quocum consentit P_1, ipsius Sallusti

---

46) ed. a. 1859. Comment. cap. V p. 119.

47) Loci ut Iug. 89, 4 ab hoc diversi sunt, quia illic scriptor passivo utitur. Cf. etiam Iacobsium ad Cat. 1, 4.

scripturam *maius* tuetur, cum in ceteris omnibus falso *magis* legatur. Quod utrum errore an consilio illatum sit, dubitari potest: veri autem specie non plane caret eum, qui librum *P* scripserit, *eo vehementius* vocibus praegressis motum *quo magis* verba suo arbitrio intulisse.

Eadem ratione § 18 qui seueriore iudicio utatur, Vaticani scripturam *quod magis vobis fecisse quam illis accidisse indignum est* praestare non poterit infitiari, *vos* autem quod in ceteris legitur reiciet. Qua in re illud miror, quod recentiores editores omnes Cortii sententiam plane spreverunt, qui, quamvis *vobis* in ullo codice exstare plane ignoraret, *vos* eiciendum esse putavit, idque eo confidentius, quod Sallustius saltem *vobis* scripturus fuisset. Sic ille, ut saepius alibi factum, coniectura invenit quod postea in libris proditum esse alii cognoverunt. Commemoravimus autem hoc, quo ostenderemus non nimio libri *V* studio *vobis* illud nos probavisse, sed ipso id simplicitatis sensu flagitari. Nam hoc omnino Memmius maxime urget, prorsus indignum esse populo Romano, manu et vi in eos vindicare qui rem publicam hostibus prodiderint. Neque vero aliter hoc fieri potest, nisi ut ex *indignum* adiectivo *vobis* ablativus pendeat; sin vero scriptor *vos fecisse* dixisset, haec duo verba in unam notionem coaluissent, ut *vos fecisse* et *illis accidisse* inter se opponerentur, nec vero *vobis* et *illis* sicut *fecisse* et *accidisse* singillatim sibi responderent.

§ 19 miror quod nemo vidit *contemnet*, quod *V* praebet, solum verum esse, cum non eundem tamquam temporis gradum atque *si deditieius est* obtineat, sed eodem quo *scilicet existumabitis* spectet. Multo autem magis doleo quod § 25 Dietschius non obstinatius in sententia sua perseveravit. Nuper enim haec scripsit[48]): ‘*omittatis* c. Iordano] *amittatis* (Vaticani scriptura), quod nescio annon proprium fuerit Sallusti’. Quod ut ego verum esse putem maxime eo adducor quod, quam legem Kritzius aliique de differentia *amittere* et *omittere* verborum protulerunt, eam multis locis inquisitis non plane veram esse cognovi. Imprimis id apparet ex Iug. 66, 1, ubi haec leguntur: (Iugurtha) *arma tela aliaque, quae spe pacis amiserat, reficere aut commercari*: in quam sententiam optime ea, quam Kritzius[49]) *omittere* verbo adhibuit, explicatio quadrat: ‘qui aliqua re non vult uti cum potest, eam

48) edit. a. 1868 praefat. p. IX. 49) edit. mai. ad Iug. 31, 17 p. 186.

omittit'; hoc enim loco *amittere* verbo consilium significari nemo infitiabitur. Neque spernendum erat, quod Dietschius[50]) ipse monuit, iam comicos veteres (ac Sallustium satis novimus antiquorum verborum amantissimum) et alia similia dixisse et *noxiam amittere*, ut Terent. Eun. 852 'unam hanc noxiam *amitte:* si aliam admisero umquam, occidito'. Itaque cum haec vocis notio a sermone usuque latino minime abhorreat, sed et aptissima sit et exquisitior, summo iure hoc nobis videmur statuere, librarium, qui primae classis exemplum archetypum scripserit, lectiorem vocem cum vulgari et consueta mutasse atque ita scripturae discrepantiam ortam esse.

Iug. 85, 2 in *V* legitur *quanto pluris est univorsa res publica, quam consulatus aut praetura, eo maiore cura* e. q. s.; in ceteris omnibus est *quo pluris — eo.* Quas scripturas si inter se comparamus et utra ex utra facilius oriri potuerit quaerimus, apparet fieri vix potuisse ut *quo .... eo* in *quanto .... eo* corrumperetur; *quo* autem ex *quanto* originem duxisse a probabilitate non abhorret. Accedit quod *quanto* optime hic dicitur, quia cum *pluris* voce coniunctum est; *quanto* vero et *eo* saepius sibi invicem respondere vix opus est exemplis docere. Sic Liv. III, 8, 8: *quanto longius ab urbe abscederent, eo solutiore cura* e. q. s. (Pomp. ad Domit.) ap. Cic. ep. ad Att. VIII, 12, *b: quanto enim magis appropinquare adversarius coepit, eo tibi celerius agendum erat.*

Etiam maioris momenti exemplum § 11 exstat. Hic enim in *V* et *C*[51]) *imperatorem* legitur, in *PC imperare* scriptum est, quod Iordanus, Dietschius, Iacobsius ipsi Sallustio tribuerunt. Quorum rationi tantum abest ut assentiar, ut hinc pulcherrimum exemplum peti credam quo praestantia libri *V* atque interpolatio reliquorum librorum probetur. Atque ut illud ne premam, non facile fieri potuisse videri, ut *imperatorem* ex *imperare*, quod multo propius ad sermonem vitamque cotidianam accedit, oriretur, immo credendos esse librarios accusativum, qui quid sibi vellet non intellegerent, cum infinitivo mutasse: ipsi sententiae

50) edit. a. 1859 Comment. cap. V p. 120.

51) Qui codices hi *C* sint ignoro, cum etiam libros *P1* (et *P4*), in quibus *imperatorem* legi ex Dietschii adnotatione colligere quispiam poterat, *imperare* praebere Wirzii opera sciamus. Itaque suspicor omnino in solo *V imperatorem* exstare, cum Iordanus, ni fallor, ad Sallusti editionem parandam *P1* librum nondum a semet collatum habuerit.

dici nequit quantum *imperare* scriptura recepta detrahatur. Aut enim hariolor aut Sallusti in orationibus componendis artem illi non satis magni faciunt, qui, quid legibus artis grammaticae repugnet, respiciunt, quid vero pulchrius, quid gravius, quid animo consilio moribus eius, quem Sallustius loquentem facit, accommodatius sit, parum curant. Hoc autem loco id Mario esse propositum patet, ut nobiles et senatus factionem omnibus modis vexet atque lacessat: id quod multo gravius fit, si *imperatorem* dicit, non solum *imperare*, et ut illa vox mox acerbissima cum irrisione repetatur. Dici autem simpliciter potuisse *imperatorem iubere* iam Kritzius exemplis docuit, ut Livi I, 17, 9 *cum populus regem iussisset*; item I, 22, 1 *inde Tullum Hostilium regem populus iussit* e. q. s.: atque adeo ex ipsius Sallusti libris afferre poterat Iug. 14, 10 *quis* (Numidis) *hostis nullus erat, nisi forte quem vos iussissetis.* Neque alterum, quod Iordanus et Dietschius (quamquam hic quidem invito animo) contra libri *V* auctoritatem probaverunt, verum esse mihi videtur. Legitur enim in *VC* (in his *ET* optimae notae libri sunt) *is sibi imperatorem alium quaerat*; in *P* et deterioribus *sibi* omissum est, in P_1 idem deletum. Qua in causa Dietschii rationem nequaquam probare possum, qui novissime haec adnotavit[52]): 'quamquam *sibi* ob codicum auctoritatem exulare debere agnosco, tamen quia ambiguitatem prorsus removet, mihi placere non infitias ire audeo'. Nam cum omnino librorum auctoritas contra rationem nihil valeat, tum hac praesertim in re quae ista auctoritas sit, non intellegitur: *sibi* autem a Sallustio necessario scribi debuisse apparet. Id enim si omittatur, etiam haec verbis sententia facillime subici possit, illum qui imperator factus sit quaerere aliquem qui imperet, ita ut ipse imperator nihil curet: id quod a vero longe abest. Nam nihil aliud dicit Marius, nisi eum qui imperator creatus sit quaerere aliquem, qui ipsi consulat, ita ut imperator quidem militibus imperare videatur, ille autem alter consilium rationemque monstret qua omnia agenda sint. Itaque *sibi* a scriptore adici necesse erat. His autem verbis a Mario Metellum perstringi, cui se ipsum bona consilia dedisse simulet, vix est quod moneam.

§ 13 summo iure Gerlachius, Iordanus, Dietschius, Iacobsius librorum VP_1 auctoritatem contra *P* omnesque reliquos, qui *et*

52) edit. a. 1868 praefat. p. XI.

particulam praebent, secuti *aut* ediderunt: non enim coniungendae sunt hae duae notiones, sed separandae. Quod cum ab omnibus recte intellectum sit, non est cur demonstrem afferendum esse hoc exemplum in eis quibus, quid libri *V* auctoritas valeat atque quae ratio inter *V* et P_1 intercedat, intellegatur.

§ 17 in *V* aliisque (primae quidem familiae, nec vero admodum bonis) legitur *iure me despiciunt, faciant idem maioribus suis* e. q. s.; *P* aliique *faciunt* exhibent, in P_1 *a* superscriptum est. Ibi *faciunt* ferri non posse, qui secum reputaverit a Sallustio *iure despiciunt* scriptum esse, facile concedet. Nam tota iam oratione Marius illud imprimis perstrinxerat, quam vano stultoque studio nobiles in vetere nobilitate atque in maiorum fortibus facinoribus magnam gloriam atque honorem eximium sibi ipsis positum esse putarent, non igitur nunc dicere potest maiores eos despicere. Marium autem ab illis despici certum est: quod si iure faciant, hoc necesse esse dicit, ut etiam *maiores* despiciant, quod neque ab illis factum est neque cogitari potest: itaque *faciant* solum recte scribitur. Cuius scripturae veritas etiam ex proxima enuntiatione apparet, in qua legimus *invident honori meo: ergo invideant labori innocentiae periculis etiam meis* e. q. s. Orditur igitur Marius etiam hoc loco ab re vera certaque, tum quid ex hac sequatur addit: quibus in verbis si libri *P* scripturam *faciunt* in verborum ordinem recipias, gratissima in his enuntiatis membrorum responsio tollitur. Hac autem in re *PC* librorum fidem non magnam esse inde intellegitur, quod *a* apertae et *u* litterarum figurae, quae in optimi generis exemplo archetypo usu venerunt[53]), tam similes erant, ut saepissime inter se permutarentur. Sic e. c. legitur in *P* Cat. 18 *pessimam facinus*, Iug. 73, 6 *erunt*, Cat. 29, 1 *exagitatam*. Libri autem *V*, qui e quali codice vetustiore originem ducat ex ipsis eius vitiis intellegitur, etiam in hoc genere maiorem fidem esse facile apparet.

Plane autem manifestum exemplum, quo doceatur in *V* veram atque antiquam scripturam mansisse, reliquos libros licenter mutatos esse, § 23 habes. Ibi enim ille haec prodidit: *maiorum gloria posteris quasi lumen est neque mala neque bona eorum in occulto patitur*: quibus in verbis, qui et familiae optimae

53) Cf. Woefflini disputationem quae est in Philologi vol. XVII p. 533 extr.

et deteriorum exemplum archetypum scripsit, sive putavit *bona* ut plerumque primo loco collocandum esse, sive consuetudinis cotidianae recordationi cessit, *neque bona neque mala* posuit. Quod minime recte se habere inde apparet, quod Marius non id maxime oratione sua premit, *bona* posterorum propter maiorum gloriam in occulto esse non posse, sed alterum imprimis docere atque demonstrare hoc vult, maiorum gloria turpia posterorum facta non occultari, sed tamquam illustrari.

§ 24 omnes quod sciam editores consentiunt solum *V* Sallusti manum reddere *huiusce rei ego inopiam fateor*, cum in ceteris omnibus *patior* scriptum sit. Prorsus autem inepte *patior* iteratur, cum iam enuntiationis proximae hic finis fuerit: *neque mala neque bona eorum in occulto patitur*. Accedit quod etiam ipsa sententia et illud, quod his verbis oppositum est, luculenter docent *patior* prorsus falso pro *fateor* in verba Sallusti irrepsisse. Nam utrum Marius inopiam maiorum necne patiatur, nemo tantopere curat, quantopere ipse hoc premit, libenter se hanc inopiam fateri: id quod etiam ex eis quae opposita sunt manifestum est. Nam quamvis non habeat maiores quos laudare possit, aliud multo praestantius se *dicere* posse gloriatur: esse autem haec suamet ipsius facta.

§ 26 aliquid nobis repetendum est, quod supra immerito praetermissum videri potest. In § 3 enim quaeritur utra vera verborum collocatio sit: utrum quae in *VC*[54]) est *quantum cum maxumo vostro benificio negoti sustineam*, an quam *PC*[55]) exhibent *quantum cum maxumo benificio vostro*. De qua re si recte iudicare voluerimus, conferenda sunt verba huius § 26, ubi in omnibus praeter *P* libris *cum maxumo vestro benificio* legitur: quo loco singulare huius libri studium suum Iordanus testatur, ut e quo solo receperit *cum vestro maxumo benificio*. Quodsi quis eandem collocationem bis in *V* exstare (semel a reliquis confirmatam) secum reputaverit, vel hanc ob causam maiorem veri speciem eam habere concedat oportet. Neque quisquam contendere poterit corrigendi omniaque exaequandi studio librum *V* ab illo quem volunt grammatico corruptum esse: quod qui statuat, quomodo ceteri omnes § 26 cum illo consentiant, ex-

54) In his *C* (praeter *T*) ne minimae quidem auctoritatis libri sunt, ut rectius *V* solus dicatur.

55) In his *C* sunt admodum boni *BP1E*.

plicare vix poterit. Accedit consuetudo Sallusti, qui semel[56]) tantum eum, quem Iordanus § 26 probavit, collocandi ordinem (*cum vostro maxumo benificio*) idque certa de causa iniit Cat. 1, 2. Contra Vaticani scriptura his locis confirmatur: Cat. 35, 1 *egregia tua fides; in magnis meis periculis*; Iug. 16, 3 *omnibus suis rebus*; ib. 23, 2 *omnis suas fortunas*; ib. 97, 2 *integris suis finibus*; cf. Iug. 76, 6. 90, 3. Cat. 50, 2. Alteram autem, quam § 3 *PC* praebent, collocationem quominus probemus hoc impedit, quod ea adscita vis pronominis oblitteratur. A Sallustio autem illam non alienam esse hi loci demonstrant: Iug. 59, 3. ib. 113, 6. Hist. II, 96, 2. ib. III, 61, 1. ib. IV, 61, 1. cf. Iug. 4, 3. — His autem exemplis commode accedit tertium. § 30 enim *V* solus[57]) *egomet plurimis laboribus et periculis quaesivi*, ceteri (*PC*) *ego meis* (*P*$_3$ *egomet meis*) exhibent. In qua scripturae discrepantia ut Vaticanum solum esse sequendum iudicemus, movet cum sententiae gravitas, quae in Marii persona ante oculos ponenda per omnia pertinet, ita ut *egomet* dicendum fuerit (opponit autem se nobilitatis maioribus), tum consuetudo Sallustiana quae, ut modo docuimus, non *meis plurimis laboribus*, sed aut *plurimis meis laboribus* aut *plurimis laboribus meis* poscebat.

Nec minus recte § 26 legi mihi videtur *meque vosque maledictis lacerent*, quod in *V* est, quamquam ei qui primam classem scripserunt librarii priorem *que* particulam per neglegentiam omiserunt. Sed hanc coniungendi rationem imprimis in pronominibus copulandis Sallustium propemodum in deliciis habere satis ex his locis apparet: Cat. 9, 3. ib. 36, 4. Iug. 10, 2. 21, 4. 79, 9. 85, 36. 85, 47. 100, 5. Accedit (cui tamen rei non nimium tribuerim) quod, ut Wirzius adicit, *que* fortasse in margine libri *P* fuit, quamvis utrum illud a prima manu profectum an ab altera adscriptum esset, non posset diiudicari.

In § 30 omnes consentiunt *parvi id* libri *V* scripturam solam genuinam esse, ex qua *parvid* ortum, inde autem lineola adiecta *parum id* factum esse[58]). Sic etiam § 33 *praesidium agitare* in *V*

---

56) Nam Iug. 14, 5 *dubiae res* in unam coeunt notionem, ut pronomen interponi non possit. Nec aliter statuendum videtur de Hist. IV, 61, 16.

57) *V* solum dixi: nam si qui cum eo alii consentiant, infimae illi notae sunt, quos ullius auctoritatis esse omnino ne cogitari quidem potest.

58) Vid. Iordanus Herm. vol. I, 240; Madvigius ad Cic. de fin. V, 30, 91 p. 769 ed. II.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 096 758 6

recte proditum esse cum recentiores omnes intellexerint, summo id iure ad probandam Vaticani virtutem adhiberi puto. Item statim proxima § haud scio an *ego* in *VC* scripturam, pro qua in *PC ergo* prorsus falso legitur, huc pertinere iure dicam: quamvis ne huic quidem rei nimium tribuam.

Nec quisquam negabit § 40 verborum ordinem longe optimum in *VC* (in quibus est P_1) servatum esse, in *PC* autem foede corruptum, qui legerit in Vaticano haec: *munditias mulieribus, viris laborem convenire,* cum in *PC* parte haec sint: *munditias mulieribus, laborem viris convenire.* Quibus in verbis facile sentitur quanta cum gravitate atque acerbitate Sallustius chiasmi figura utatur, qua munditiae et labores, ac multo etiam magis mulieres et viri inter se opponuntur. Quae exquisita dicendi ratio plane evanescit altera *PC* verborum collocatione probata, quam ut defendat, nemo opinor confugiet ad illud quod Marius dicat *non composita sunt mea verba*; nam sententias quidem Marii ingenio atque animo Sallustius accommodavit, dicendi genus suum esse ipsius voluit.

§ 41 denique *V* solus servavit *omnibus,* quod hoc loco certo recipiendum fuit: nam et consilio totius orationis ac sententiae optime respondet neque a consuetudine Sallusti alienum est.

[Quae supersunt, in Actis societatis philologae Lipsiensis prodibunt propediem.]

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 096 758 6